

5  
REGALIA  
MINISTRAT

S A M I N A H

Posteriori Quatuor Libri  
maris Domini Cognitio



AVENTIIS M D LXXX

Constituta per la prima volta



# REGVLAE MINISTRI.

**H**IUS officium erit Praepositum, uel Rectorem iuuare in ijs, quæ in gene-  
re, uel in particulari ei commenda-  
bit: nec dispensandi, aut mutandi, aut  
quidquam faciendi, nisi ex eiusdem præscripto, fa-  
cilitatem habebit.

2 Valde commendatum sibi existimet quod per-  
tinet ad obseruationem constitutionum, regularum,  
ordinum communium, & approbatarum consue-  
tudinum domus, uel collegij: ideoque habeat in  
scriptis, & aliquando legat tam communes om-  
nium, quam particulares superioris, & officialium  
regulas, & eosdem officiales suas habere, intelli-  
gere, atque obseruare curet.

3 Officiales uisitent quoties opus fuerit, obseruan-  
do quomodo suum officium exequantur, quod saltem  
alternis diebus faciet. frequenter etiam uisitabit  
cubicula, & alia loca domus, ut uideat, quomodo  
omnia habeant.

4 Cum quis ab officio aliquo amouetur, curet,  
ut is suum successorē instruat de ratione exercendi

illud iuxta regulas, & consuetudines à Superiori approbatas.

5 Animaduertat in temporum mutationibus, quomodo in collegio, uel domo fieri debeat horarum, ciborum, uestiumque mutatio, & Superiori in memoriā reducat, præsertim bis in anno, sub initium veris, & autumni, obseruet etiam crebro, num aliquid defit ex necessarijs, aut abundet; eorumque potissimum rationem habeat, qui in corporis cura minorem de seipsis solitudinem gerunt, curetque, ut adsit, cum medicus ægrotos inuiset.

6 Quotidie hora sibi designata de rebus omnibus domus rationem Superiori reddat à quo excipiet in libello ad id parato, quæ ei facienda committet, & cum primum commode poterit, eidem referat, quæ executus fuerit.

7 Redigat Superiori in memoriam ea, quæ necessaria domui iudicabit, ut de coemendis rebus ad victimum, & uestitum necessarijs suis temporibus, de fratrum nimio, aut exiguo labore, de sanitate, & similibus.

8 Notet, ac referat Superiori tam defectus, si quos uel domi, aut in collegio animaduerterit, uel aliunde intellexerit, quam quæcumque alia, quæ ad bonam gubernationem conuenientia ei occurrent, tum etiam circa res sibi commissas, & quasvis alias ut quomodo se nostri habeant circa obedientiam, orationem, adificationem, & in omnibus iuritibus

bus

bus profectum, & studium.

9 Si quis intra tempus designatum ad confessionem, aut communionem non accederet, intelligat a Superiore num subtrahendus ei sit cibus corporis, donec cibum spiritus sumat.

10 Peculiarem habeat curam, ut domus munda sit, & omnia ubique decenter suis locis composita, sed præcipue in ijs, quæ ab externis uideri solent.

11 Noctibus singulis portas domus, quibus in publicum exitur, uideat an bene clausæ sint.

12 Designet aliquem ex commissione Superioris, qui communes lucernas domus opportuno tempore incendat, & extinguat; qui item publicas feneſtras suo tempore aperiat, & claudat, ac pro abluenda facie, & manibus in loco destituto aquam infundat, & mantilia pro extergendis adhibeat; quæ alia Sacerdotibus, alia non Sacerdotibus destinata erunt; & bis in hebdomada mutabuntur.

13 Studeat animos patrum, & fratrum inter se per benevolentiam, & præsertim cum Superiori per obedientiam unire, & si quid minus æquo animo aliquis ferret, uelit potius in se (quoad fieri potest) quam in Superiorum causam reijci ueluti in iniungè dispenſitentij, quas ipse iuxta præscriptum Superioris imponet, & tam in eis, quam in reprehensionibus, ab animi perturbatione caueat, carita-

A 3 temque

temque præseferendo studeat, ut illi, quibus paenitentias imponet, merito sibi iniungi cognoscant.

14 Si quando absente Superiori aliiquid acciderit, quod adeo urgeat, ut commode Superior expectari nequeat, id Minister, auditis consolitoribus, exequi poterit, quamuis in specie non sit ipsi commissum; dummodo existimet iuxta Superioris mentem id fore, statimque redeunti quod factum fuerit, referat. Quod autem sibi ordinarie agendum erit, absente Superiori, ab eo curet intelligere.

15 Si subministrum habuerit, utatur eius operaria ijs, quæ commode per se facere non poterit, iuxta præscriptum Superioris: si uero non habuerit, alternis saltem diebus singula cubicula uisiter, & alia que in officio subministri continentur, suppleat.



## REGVLAE SUBMINISTR. I.



*V* BMINISTER est instrumentum Ministri, & aliorum superiorum ad res particulares obeundas, & executioni mandandas.

Nihil

S V B M I N I S T R I .

7

2 Nihil ordinat, sed tantum est executor, & exactor actionum domesticarum, iuxtamodum, & ordinem sibi a superioribus prescriptum.

3 Est eius præcipua cura, ut omnia, quæ attinent ad culinam, refectorium, penum, cellam uinariam, & aquarium bene, & ordine, & tempore suo parata sint, & ministrentur; uideatque ut cubicula sint decenter composita, quæ alternis saltem diebus uisitabit.

4 Curet, ne nostri per domum, uel collegium vagentur, uel intempestive colloquuntur, ac denique, ut unusquisque in suo officio uersetur, & continetur.

5 Referet de omnibus rebus quotidie ad Ministrum: ad Præpositum uero, uel Rectorem, quoties eis uisum fuerit,

6 Nullam iniunget pœnitentiam, sed de defilibus domesticis admoneat Ministrum, uel alium Superiorem: poterit tamen impositas pœnitentias nomine alicuius Superioris alijs denunciare.

7 Erit Superior nostrorum, qui Sacerdotes non sunt: Sacerdotibus tamen aliquid iniungere poterit nomine alicuius Superioris.



A 4 REG V-



# REGVLAE PROCVRATORIS GENERALIS.

**N** omnium negotiorum tractatione per-  
petuo memor sit instituti Societatis, quæ  
Dei omnipotentis gloriam quærens, pro-  
fectui animarum inuigilat: Ipse igitur uerbo, & exē-  
**a P. 9. c. 6.** plo eos omnes edificet, quibus cū uersatur, & in his,  
**S. 12.** quæ ad officium suum spectant, <sup>a</sup> fidelitatem, pru-  
dentiam, & dexteritatem habere studeat; atque eos  
sibi beneulos conseruet, quorum opera ad negotia  
peragenda indiget.

**T. 9. c. 6.** 2 Adeum pertinent negotia omnia ad expeditio-  
**S. 12.** nes, lites, & quoquis contractus sibi à Generali com-  
**P. 4. c. 2.** missos sine undos spectantia, quæ ad uniuersæ Socie-  
tatis collegia, uel domos eus, uel etiam ad particu-  
lares personas pertinebunt.

3 Superintendat non solum ijs, quæ Procurato-  
re, & solicitatore externo curantur, sed etiam so-  
cijs, qui illi dabuntur adiutores, quod ad negotia at-  
tinet, et si qui Roma fuerint Procuratores Societa-  
tis rerum particularium, uel etiam Provinciarum

ab

ab ipso dirigentur, prout Generali uidebitur.

4 Nihil, quod ad expeditiones, lites, aut grauiora negotia pertineat, incipiet agere, nisi à Præposito Generali, per se uel per alium approbatum sit. Et ei commissum, ut exequatur; quod si Generalis rem consultatione indigere iudicabit, solicet, ut mature de ea statuatur, præcipue si res festinatione egere uideatur: si quid autem ex ijs, quæ statuantur, ipsi uideretur non conuenire, proponat suam sententiam, & rationes, quibus mouetur.

5 Curet diligenter, ut recte, & solide fiant, quæ expedienda, uel alia ratione agenda erunt: quod si periti iuris, aut curiales consilendi sint, maxime idonei elegantur. idem de officialibus, per quos res est transigenda, intelligatur.

6 Conferat cum Præposito Generali, eique reddet rationem eorum, quæ facit, & quo in statu sunt negotia, aut illi, qui à Præposito designabitur: quod si rerum difficultas extraordinarium faveorem, aut diligentiam exigere uideatur, eidem signifiet, & auxilia, quæ opportuna uisa erunt, petat.

7 Rationem quoque reddet status negotiorum, eorumque prosecutionis, uel expeditionis ijs, qui de negotijs scribunt; suas uero literas legendas dabit illi Assistenti, ad cuius Provinciam negotia pertinent.

8 Rationum libros conficiat, in quibus sigillatim  
omnia

## 10 R E G U L A B

omnia, quæ recepit, scribantur, & quas pecunias  
quibus in rebus expenderit, ut tam clara, & distin-  
cta ratio dati, & accepti sit, ut ipso etiam absente  
supputari possit, quid singula Provincie, domus, col-  
legium, aut particulares personæ dederint, aut de-  
beant Procuratori, aut quid eis à Procuratore de-  
beatur. quod ut commodius obseruetur singulis sal-  
tem annis ad Nativitatis Dominica festum ratio-  
num omnium summam colliget, & scribeat, atque  
ad eos, quorum intererit, mittet; si quid autem pe-  
cuniae supererit, eisdem significabit, ut pro ipsorum  
arbitrio de ea disponatur.

9 Librum habeat, in quo scribat beneficia omnia  
ecclesiastica, quæ singularum Provinciarum col-  
legijs sunt unita, & horum etiam catalogum, ubi  
tempus in quo fuit facta unaqueque unio, & ualor  
etiam annotetur, animaduertatque, ut anteqnam  
adueniat dies prescriptus soluendi quindennia, Re-  
ctores collegiorum, ad qua huiusmodi uniones per-  
tinent, diligenter admoneat ut opportuno tempore  
pecunias Romanas mittant.

Par. 4.e. 2.  
lit. E

10 Curet, ut à Provincijs mittantur pecuniae,  
quas contribuere debent ad sumptus necessarios in  
Procuratores, & cum opus fuerit, in Aduocatos,  
latores litterarum, & alios similes faciendo; ut-  
que Romæ sint eo tempore, quo illis sunt soluendæ,  
eademque diligentia, quæ sibi deberi ex libro ratio-  
num colliget, ut reddantur, curabit.

Cum

11 Cum pecunia Procuratori ad negotia confienda transmittetur, si tantum litera bancharia, quæ de credito dicuntur, mittantur, nihil capiat, nisi quantum, & quando pro negotio confiendo opus erit. si uero bancharia litteræ ad certam aliquam sum-  
mam, quæ iam alibi soluta est, capiendam missæ fue-  
rint, & ea ipsa iam iam ad negotia expedienda erit  
necessaria, ne tum quidem à mercatore, presertim  
locuplete, & spectatae fidei educatur, donec nume-  
randa sit; si uero non tam cito erit necessaria, uel  
de fide mercatoris, non tam certo constaret, primo  
quoque tempore ab eo accepta pecunia, eam repo-  
nat in arca sub duplice clavi, quarum alteram ipse,  
& alteram diuersam socius habeat.

12 Scripturas, bullas, & brevia authentica, que  
in Archivio conseruantur, non nisi exigente nece-  
sitate accipiet; acceptas uero, quam primum com-  
modè poterit, reddet; ceteras autem scripturas,  
procuratoria instrumenta, literas negotia conti-  
nentes, quandiu necessaria fuerint; & demum que-  
cunque ad officium eius pertinent, & quæ nec per-  
petuo necessaria sunt, nec semper seruanda erunt, ip-  
se custodiat ordinate, & distinetè, factò eorum om-  
nium inuentario cubiculunque, si clavi obseratum.

13 Informationes ad se missas in omnibus expe-  
ditionibus habeat præ oculis, ut ad eas omnino sup-  
plicationes conformentur; deinde animaduertat, ut  
bullæ, & brevia, quæ expediuntur, cum supplica-  
tionibus

tionibus concordent.

14 In librum referat summam omnium negotiorum, quae ei commendantur, resque maioris momenti, quae in eorum progressu peragentur, ibidem breui, ac dilucido ordine conscribat.

15 Exempla literarum, quas ad uarias Provincias, & loca scribat de negotijs, in librum peculiarem referat, & cum memorialia, informationes, supplicationes, vel alia scripta alicuius momenti alijs dabit, exemplum eorum apud se seruet.

16 Regulas Cancellarię habeat, bullasq; & brevia, quae à Sum. Pont. fuit, emat; in eisque animaduertat, quid noui contineatur. Quod si in cænae Domini Bulla aliquid adderetur, aut mutaretur, eam statim ad omnes Provincias, transmittat: Motus etiam proprios vniuersales, consilio tamen Praeposito Generali, Provincialibus mitteret.

17 Cum intelliget Praepositum Generalem obedientiam præstare velle creato nouo Pontifici, in memoria illi redigat, an expeditat ab eo impetrare confirmationem gratiarum, & priuilegiorum Societatis.

18 Subditus sit Superioribus Collegij: præter quam in ijs, quæ ad sui officij executionem spectant.

19 Illud vero præcipue ante oculos habeat, vt antequam litem ullam intendat, res controversa (si fieri possit) concordia, aut compromissione componatur: si quando tamen necessario ad litem descendendum

PROCVRAT. DOMVS PROFES. 13  
dum erit, memor sit, ut magnam pacem interius,  
exteriusque custodiat, & semper ad iustam concor-  
diam se paratum esse contrariae parti innocescat.



## REGVLAE PRO- CURATORIS DOMVS

### PROFESSAE.

**L**N omnium negotiorum tractatione per-  
petuo memor sit instituti Societatis, quæ  
Dei omnipotentis gloriam quærens pro-  
fici animarum iniugilat, cures igitur ipse verbo, &  
exemplo præsentim humilitatis, & patientiae eos om-  
nes adificare, quibuscum conuersatur, atque eos sibi  
bene volos conseruare, quorum opera ad negotia pe-  
ragenda indiget, & cum oportuerit, de instituti no-  
stri ratione illos informet.

2 Querat diligenter eleemosinas, easque simplici P. 6. cap.  
ter, & amore Domini petat, nec non & eas augere, 2. S. 10.  
ac conseruare studeat, opportuneque eos visitet a  
quibus petenda erunt.

3 Habeat catatogum eorum, qui ordinarie, &  
extraordinarie eleemosinas faciunt, & de his  
certiorem

certiorem faciat spueriorem, ac videat ne sua negli-  
gentia aliquos prætermittat, quorum beneficio  
domus iuuari possit.

4 Animaduertat, quid à quibus petere debet,  
iuxta id quod unusquisque facilius & commodius  
suo tempore dare possit, & caueat ne in petendis  
eleemosinis grauis, vel molestus externis sit, ita  
ut ad eos cum oportuerit, gratus semper pateat adi-  
tus nostrorum.

P. 6. ca. 2, §. 10. 5 Habeat socium à Superiore designatum, cu-  
ius opera vtatur in his, quæ ad suum officium perti-  
nent, præter aliū ( ubi opus erit ) qui in virtute,  
& conuersatione probatus possit eleemosinas ordi-  
narias per domos colligere,

6 Procuratoris erit quascunque eleemosinas re-  
cipere, & quæcunque afferuntur domum in libro  
quodam ad id designato quotidie scribere,

In ex cap. I. S. 3. &c. 7 Videat in quaerendis, vel admittendis eleemo-  
P. 6. ca. 2. sinis ne preiudicium fiat puritati nostri instituti,  
§. 6. & 7. quod attinet ad eius ministeria gratis omnino exer-  
cenda.

8 Pecunia, unde cuncta prouenerit, in arca re-  
ponatur ad id designata; huius Præpositus clauem  
vnam, & ipse Procurator alteram diuersam custo-  
diat; in eadem liber afferuabitur, in quo scribetur  
pecuniae summa tam eius, quæ infertur, quam  
eius, quæ effertur; si quando autem cogente ali-  
qua necessitate pecunia in arcā non inferretur, nibi-  
lomi-

lominus accepti, & expensi summa semel in hebdomada in eodem libro scribatur, ac si in ea reponeretur.

9 Quoties ex arca pecuniam accipiet, eius summan, & diem in libro suarum rationum adscribat; in altera vero parte libri, expensratio constet.

10 Procurator in libro ad hoc designato, quem In ex. c. 4.  
penes se habere debet, scribat omnia, quæ unusquisque nouitiorum domum attulerit cum eiusdem subscriptione, & ea Custodi vestium afferuanda traderet, nisi sit pecunia, quam separatim custodiet in arca, ubi pecunie domus reponuntur, donec biennio ex pleto, nouitius consueta vota Societatis emittat.

11 Singulis mensibus dati, & accepti rationem Superiori reddet, & debita etiam indicabit, quo ipse domus statum prorsus intelligat. P. 4. cap. 2.  
§. 5.

12 Diligenti cura afferuabit in archiuio ad hoc designato instrumenta originalia, & titulos, quibus constat de iure eorum, quæ domus ad ipsum, & propriam habitationem possidet, suis locis reposita, ut facile inueniri possint.

13 Item seorsum habebit hec eadem instrumenta, & titulos manu Notarii publici subscripta, ut fidem faciant si aliquando in iudicio presentari necesse sit; archiuij autem due claves diuersæ erunt quarum alteram Praepositus, alteram ipse habebit Procurator.

14 Prater hec Procurator librum habebit, in quo

quo summa quedam horum instrumentorum, & titulorum continetur; cum autem contractus maioris momenti, prasertim rerum perpetuarum sient, redigat in memoriam Praeposito ad archivium, quod est in urbe penes Praepositum generalem, eorum exempla authenticamittenda esse.

15 Cubiculum clavi obseruat habeat, & ase-  
uabit scriptaras, quibus ad procuratorium munus  
indigebit, cumque aliquas ex archivio accipiet, ea-  
rum in libro, qui in eodem archivio erit, annotato  
die, mense, & anno, memoriam relinquet; quas,  
cum suo tempore restituet, & ex eodem libro expunget.

16 Cum totidomini necessaria prouidere ipse debeat,  
iuxta Superioris ordinem, curet, ut res omnes praecipue  
diu duratur, quam opportune emantur, ne  
aut non perinde bonas, aut non aequo pretio cogatur  
comparare; caueat etiam ne, dum nimium pecunia  
parcit, non bonas, aut insalubres res emat.

17 Emptori pecunias ad quotidianos sumptus sub-  
ministrabit, a quo singulis diebus expensarum exi-  
get rationem ex codice; summam vero in librum suum  
ipse referet.

18 Videat num ea, que emptas sunt illas, conseruen-  
tur, atque animaduertens aliqua, non ut oportet, cōser-  
uari, aut expendi Superiorē vel Ministrū admoneat.

19 Si quid uendendum uideretur, id Procurator si-  
ne facultate Superioris ne faciat.

REGV-



# REGVLAE PROCVRATORIS.

Collegij, & Domus Pro-  
bationis.

**N**on omnium negotiorum tractatione  
perpetuo memor sit instituti Societa-  
tis, quæ Dei omnipotentis gloriam  
quærens, profectui animarum inuigi-  
lat. Curet igitur ipse verba, & exemplo eos omnes  
edificare, cum quibus conuersatur, atque eos sibi be-  
neuelos conseruare, quorum opera ad negotia per-  
agenda indiget.

2 Procuratoris erit conseruare res temporales P.3. 6.3.  
sua curæ commissas, & eas curare, tanquam bona  
propria D. N. Iesu Christi. cum autem toti collegio  
necessaria prouidere ipse debeat, iuxta Superioris or-  
dinem, ad eum pertinebit prouentus quoscunque col-  
legij, vel Domus probationis, & eleemosynas, vbi  
petendas à Rectore intellexerit exigere, ac recipe-  
re: Syngraphas vero solutionis, quando opus erit,  
ipse dabit subscriptas à Rectore, aut à se, illius com-  
missione.

3 Omnes Collegij prouentus, & tempora, qui-  
bus colligendi sunt, in peculiari libro scribet, &

B

jeorsum summam contractuum, & locationum seorum, etiam quascunque res, aut pecunias ex fructibus collegij percepérunt, addito à quibus, & quando ea prouenerunt, eleemosynæ autem alio in loco scribantur.

P. 4. c. 2. 4 Singulis mensibus dati, & accepti rationem Rectori reddet, debitaque, & credita Collegij indicabit, quo ipse domus statum prorsus intelligat.

5 Pecunia, undeque ea prouenerit, in arca reponetur ad id designata; huius Rector clauem unam & ipse Procurator alteram diuīsam custodiat, in eadem liber afferuabitur, in quo scribetur pecunia summa, tam eius, quæ insertur, quam eius, quæ effertur. si quando autem cogente aliqua necessitate pecunia in arcā non inferretur, nihilominus accipiet, & expensi summa in eodem libro statim scribatur, ac si in ea rō oneretur.

6 Quoties & arca pecuniam accipiet, eius summan, & die<sup>m</sup> in libro suarum rationum adscribat, in alia vero parte libri, expensi ratio constet.

In ex. p. 4.  
S. 4. & p. 1.  
c. 5. 5. 6.

7 Procurator in libro ad hoc designato, quem penes se habere debet, scribat omnia, quæ unusquisque Nonitiorum domum attulerit cum eiusdem subscripione, & ea custodi vestium afferuanda tradet, nisi sit pecunia, quam separatim custodiet in arca, ubi pecunie Collgij reponuntur, donec, biennio expleto, Nonitius consueta vota Societatis emitat.

8 Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministra-

ministrabit, à quo singulis diebus expensarum exigit rationem ex codice; summam verò in librum suum ipse referet.

9 Curet, ut res omnes, precipue diu duraturæ, quam opportune ematur, ne has non perinde bonas, aut non aequo pretio cogatur comparare: caueat etiā ne dum nimium pecunia parcit, non bonas, aut insalubres res emat.

10 Videat, num ea, quæ empta sunt, illæsa conseruentur, atque animaduertens aliqua, non ut oportet conseruari, aut expendi, Superiore, vel Ministrum admoneat.

11 Aduertat, num ea, quæ à Collegio possidentur, reparatione indigeant, seu domus, seu prædia, seu quid nis aliud, ut ad Superiore referat: si quid autem vendendum videretur, eodem in consulo, ne faciat.

12 Omnia, quæ speciem habent secularis negotia Cā. 70. tr. tionis, in colendis videlicet agris, vendidis in foro <sup>cong.</sup> fructibus, & similib. intelligat prohibita esse nostris.

13 Nihil quod ad locationes, contractus, aut debita contrahenda, aut alia alicuius momenti negotia pertineat facit nisi ipsi à Superiore commissum sit; si quid autem ex ijs, quæ iubentur, ipsi videretur non expeditire, eidem proponat modeste suam sententiam, & rationes, quibus moueat.

14 Excipiet in codicem lites, si que forte erunt, & que grauioris momenti circa eas sient continenter, & summatim annotabit.

15 In tribunalibus Iudicium non compareat, nisi quando aliqua necessitas plurimum urgere Superiori videretur; sed per externos Procuratores nostra negotia in publicis iudicijs peragantur.

16 Curet diligenter, ut recte, ac solide fiant, quæ expedienda erunt; quod si periti iuris consulendi sint, maxime idoneos eligat: idem de cæteris officialibus dictum intelligatur.

17 Conferat cum Superiore, eiique reddat rationem eorum quæ facit, & quo in statu sint negotia, aut ei, quem ille designabit, quod si rerum difficultas e extraordinarium fauorem, aut diligentiam exiger videatur, eidem significet, ut auxilia, quæ opportuna visa erunt, petantur.

18 Diligenti cura asseruabit in archivio ad hoc designato instrumenta originalia, & titulos, quibus constat de iure eorum, quæ a Collegio possidentur suis locis reposita, ut facile inueniri possint.

19 Seorsum habebit hæc eadem instrumenta, & titulos manu Notarij publici subscripta, ut fidem faciant, si aliquando in iudicio presentari necesse sit. archivij autem duæ claves diuersæ erunt, quarum alteram Rector, alteram ipse habebit Procurator.

20 Praeter hæc, Procurator librum habebit, in quo summa quedam horum instrumentorum, & titulorum continetur; cum autem contractus maioris momenti, præsertim rerum perpetuarum fient, redigat in memoriam Rectoriad archivium, quod est in urbe

vrbe penes Præpositum Generalem, eorum exempla  
authentica mittenda esse.

21 Cubiculum clavi obseratum habeat, & asser-  
uabit scripturas, quibus ad procuratorum munus  
indigebit; cumque aliquas ex archivio accipiet, earum  
in libro, qui in eodem archivio erit, notato die, men-  
se, & anno, memoriam relinquet quas; cum suo tem-  
pore restituet, ex eodem libro expunget.

22 In libellum referet quæcunque à Superiore ip-  
si facienda iniungentur, ne memoria excidant, & esse  
et tu frustrentur.

23 Intelligat, qui sint illi potissimum, qui beneficia  
magni momenti in Collegium contulerunt, & eorum  
catalogum habeat, & Superiorem certiorem faciat;  
ut iuxta modum professionis nostræ, grati in illos esse  
possimus.

24 Illud vero præcipue ante oculos habeat, ut an  
te quam litem ullam intendat, res controuersa ( si fieri  
possit ) concordia, aut compromissione, consulto Supe-  
riore, componatur; si quando tamen necessario ad li-  
tem descendendum erit, memor sit, ut magnam pa-  
cem interius, exteriusque custodiat, & semper ad iu-  
stam concordiam se paratum esse contrariae parti in-  
notescat.



15. ЯЛОТЯХОДА

16. *On the Nature of the Human Soul* (1903)

¶ 10. ¶ Theodoricus de Sambucio  
natus in Sambucio in Tuscany, as may be seen  
in his life, was educated at the University of  
Bologna, where he studied law, and became  
professor of law there. He was also a  
professor of law at the University of Padua,  
and at the University of Perugia. He  
wrote several treatises on law, and  
was a member of the Accademia dei Lincei.

ရှင်မြန်မာရုပ်ပန်တော်မြတ်များ၊ အမြတ်မြတ်များ၊ အမြတ်မြတ်များ၊

dispon d'apremunt. Tunc illi misere regidunt.

16. **Л**юбимъ възлюбленъ мъжъ твой  
17. **Л**юбимъ възлюбленъ мъжъ твой  
18. **Л**юбимъ възлюбленъ мъжъ твой

an act intended to give him the right to sue his employer for all the wages due him.

the following year, he was appointed to the post of Comptroller of the Suez Canal Commission.

... et de la morte, il n'aurait pas été possible de faire une chose aussi difficile que de faire un tel voyage.

the court of justice by the name of the *Constituent Assembly*.

v. 81360  
do librario antico dei Gesuiti italiani  
www.oldbooks.it

Inv. #1360

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani

[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)



REGVLAE  
CONSULTORVM,  
ET ADMONITORIS,  
cum Formula scribendi.



VENETIIS, M D LXXX.

*Cum facultate superiorum.*



Fondo librario antico dei Gesuiti italiani  
[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)



Cinquecentina

n. 391

18

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani  
[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani  
[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)



o librario antico dei Gesuiti it  
www.fondolibrarioantico.it